

propria sunt. Huc pertinent tot historiae adiuncta non solum de Iudaeorum gente, sed de exteris etiam nationibus Philistinorum, Iudaeorum, Persarum, Chaldaeorum, Assyriorum aliorumque, quae licet ex occasione tantum et obiter hoc illuc commemorentur, veritati tamen historiae aliunde notae per omnia consentiunt: item temporum ordo, locorum descriptiones et nomina, sermones, hominum cognomenta, familiarum genealogiae, principum, regum, pontificum series minute expositae, atque sexcenta quae non nisi ab auctoribus coaevis vel quasi coaevis expectari possunt.

2° Crescit vero argumentum si *mutua* horum librorum *consensio*, et mutuum quod sibi praestant testimonium consideretur. Siquidem libri recentiores ubique supponunt antiquiores, eos laudant, ad eos provocant, ut ex. gr. libri Iosue vel saltem eius argumenti meminit liber Iudicum, rursus Iosue et Indices laudantur in Psalmis, et in libris Regum, ii vero apud Prophetas passim commemorantur, item Prophetae antiquiores laudantur a posterioribus, et ita de ceteris ut cuique biblicorum margines, vel concordantias percurrenti facile constabit. Unusquisque videt quam validum pro singulorum librorum authenticum argumentum exurgat ex hac mutua concordia, ac conspiratione. Hac enim posita, libri huiusmodi vel omnes spurii sint nec adversarii affirmare audent. Et revera si omnes spurii essent vel ab uno auctore eodem tempore omnes confecti fuissent, vel a diversis auctoribus diversisque aetatibus. Porro primum absurdissimum est. Quis enim credat potuisse quempiam recentiorum scriptorem totam librorum seriem confingere tam diverso stylo ac variis aetatibus tam bene accommodatam, eosque tanquam Iosue, Davidis, Salomonis, Isaiae aliorumque scripta vulgare et universae Iudaeorum genti persuadere sanctorum illorum libros esse, de quibus illi nunquam audissent? Quod si dicamus a variis auctoribus diversisque aetatibus libros editos fuisse, supponendum esset apud Iudaeos seriem quamdam continuam impostorum exstitisse, qui per multa saecula alter alteri successerint, atque opus illud suppositionis continuaverint in unum semper conspirantes, et sibi semper cohaerentes, quin unquam ab integra gente Iudaeorum sacrorum voluminum observantissima, et cuius sortes libri isti maxime respiciebant, detecti fuerint. Quod certe ita absonum est, ut neque refutatione indigeat.

Haec quidem satis esse possunt ad ostendendum libros V. T. Pentateucho posteriores genuinos esse.

Obiectiones quas adversus hanc Thesim oggerunt Rationalistae levissimae sunt. Nihil enim aliud afferunt nisi grammaticas animadversiones, chronologicas obscuritates, notulas quasdam forte textui serius adiectas, quae profecto desperatam adversariorum causam produunt. Si enim haec aliquid valerent, nullus antiquitatis liber nullumque monumentum authenticum dici posset. Has igitur difficultates hic omittemus: earum tamen nonnullas praecipuas diluimus in sequenti articulo ubi de laudatis libris singillatim, et in cap. IV ubi de eorumdem veracitate sermo erit.

ARTICULUS II.

DE LIBRIS V. T. PENTATEUCHO POSTERIORIBUS SINGILLATIM SUMPTIS.

Alia monuimus aptissimam librorum sacrorum divisionem esse in libros 1° *Legales*, 2° *Historicos*, 3° *Propheticos*, 4° *Morales*. Hanc itaque divisionem nunc sequemur, omissis tamen *Legalibus*, qui sunt ipsi Moysi libri, de quibus nunc non agimus.

I. Libri V. T. historici.

Libri historici V. T. Hebraicae gentis gesta ac vicissitudines referunt ab eius ingressu in Palaestinam usque ad tempora Christo proxima. Haec quidem historia in tres epochas dividi potest. Harum *prima* Iudaeos exhibet sub *Iudicum* regimine a Iosue usque ad Samuelem: protenditur autem ab anno mundi 2350 circiter usque ad 2910 (A. C. 1450-1090) secundum chronologiam vulgo receptam. *Secunda epocha* Iudaeorum gentem sistit a *Regibus* gubernatam a Saule usque ad Sedeciam, sub quo regnum excisum est a Chaldaeis. Cum autem post Salomonis mortem decem tribus a Davidis dynastia recessissent, duo inde regna orta sunt, quorum alterum *regnum Iuda* dicebatur, quia tribu Iuda praecipue constabat et parva Benjamin tribu eidem adhaerente, regebatur autem a principibus recta linea a David oriundis: alterum vero *regnum Israel* appellatum est, quod reliquis decem tribubus constans suos reges habuit

non ex una, sed ex pluribus diversis familiis ac stirpibus, in urbe principe Samaria residentes. Utriusque itaque regni historiam sacri libri narrant ita tamen ut in Regum Iuda gestis narrandis praecipue immorentur. Haec secunda epocha protenditur ab initio regni Saulis circa annum 2910 mundi (1090 ante Christum) usque ad annum 3400 circiter (A. C. 600), quo regnum Iuda a Nabuchodonosor eversum est ac populus in captivitatem Babylonicam adductus, cum iam ante centum viginti annos regnum Israel opera Assyriorum corruisset, ac decem tribus in Assyriam deportatae fuissent. *Tertia epocha* incipit cum captivitate Babylonica et porrigitur usque ad Christi adventum complectens postremos 600 annos reipublicae Iudaicae. Ad hanc tertiam epocham pertinet historia ipsius captivitatis quae 70 annos duravit, tum reditus gentis in Palestinam ex Cyri regis Persarum licentia, Ierusalem ac templi reaedificatio (quod secundum templum dicitur) ac variae Iudaeorum vicissitudines usque ad Graecorum, idest Seleucidarum, dominationem, qui in Syria Antiochena regnum obtinentes post Alexandri magni mortem, etiam Palestinam in suam ditionem redegerunt, et cum secundo ante Christum saeculo gravissimo in Iudaeos opprimerent ac verum Dei cultum exterminare conarentur, fortissimos hostes in Machabaeorum familia et assecelsi nati sunt. Sub Machabaeis Iudaeorum regnum resurgere ac brevi tempore florere visum est, donec sub Romanorum dominationem redacti sunt, ac demum ab ipsis Romanis Herodem regem acceperunt hominem extraneum ex Idumaea oriundum, cuius proinde susceptum in Iudaeos imperium imminens Messiae adventum iuxta prophetarum oracula designabat. Tota haec historia in nostris libris narratur non tamen plene et adaequate, sed quantum satis est ad ordinem divinae Providentiae erga populum Hebraicum, veramque religionem intelligendum. Immo pro ultima epocha deest continuata series factorum quae per profanos scriptores, praesertim Iosephum Flavium, supplenda est.

Ad primam epocham pertinent liber *Iosue*, liber *Iudicum*, et *Ruth*: ad secundam quatuor libri *Regum*, duo *Paralipomenon*, *Tobias*, et probabilis *Iudith*: ad tertiam duo libri *Esdrae*, liber *Esther* et duo *Machabaeorum*. De his itaque libris singillatim pauca dicemus iuxta ordinem superius memoratum. Qui plura de his legere amat adire potest auctores, qui haec ex professo pertractant, im-

primis *Huetium: Demonstr. Evang. Prop. IV.*, et *Ios. Ghiringhelo: De libris historicis A. F. Taurini 1845-46.*

A. *Liber Iosue.*

Liber Iosue historiam narrat huius invicti Hebraeorum ducis, qui post Moysi mortem populum in terram Chanaan introduxit, ibique stabilivit. Eius nomen olim erat Oseas hebr. *יְהוֹשֻׁעַ* idest *salus*, vel *salvator*, postea vero mutatum est, fortasse ab ipso Moysse post caedem Amalecitarum (Num. XIII, 9, coll. Ex. XVII. 10-13), mutatum, inquam, est in *Iosue* hebr. *יְהוֹשֻׁעַ* (*Iehoscua*) idest, *cuius auxilium Deus est*, unde per apocopem factum est *יְשׁוּעַ* (*Iescua*), atque hinc (pronunciatione apud Alexandrinos recepta) *Ἰησοῦς Iesus*, quo nomine in graeca versione appellatur. Iosue filius fuit *Nun*, per errorem tamen librariorum, qui ultimam huius vocis litteram *v* vel *N* cum *z* vel *H* permutarunt, dictus est a Graecis *Ἰησοῦς Ναυῆ* unde etiam a Latinis aliquando *Iesus Nave* vocatur.

Is itaque a Moysse in successorem electus, postquam exploratores in urbem Hiericho misisset, statim Iordane per prodigium transmissio, populum in terram promissam introduxit (Ios. I-IV). Tum Hebraeos circumcidit, qui hunc ritum durante peregrinatione omiserant, et pascha celebravit, deficiente tunc primum manna quod hucusque Hebraeos sustentaverat in deserto (V): resistente autem progressui Hebraeorum urbe Hiericho, eius moenia, clangentibus Sacerdotum tubis, corruerunt, urbsque capta ac diris devota fuit (VI). Sequitur expugnatio urbis Hai, et victoria de quinque coniuratis regibus Chananaeorum, quo die Deus pro Hebraeis pugans lapidum grandinem in hostes immisit, et sol ad Iosue nutum constitit, diesque duplo longior effecta est (VII-XI). Narratur deinde aliorum regum profligatio, qui in capite XII omnino triginta et unus numerantur, quorum tamen nonnulli ante transitum Iordanis debellati fuerant. Post haec Iosue terram promissam populo distribuit septimo, ut videtur, anno post eorum in illam ingressum (XII-XXII), traditis XLVIII urbibus in usum Levitarum, ex quibus XIV in meridionali parte regionis sacerdotibus cesserunt. Tandem Iosue anno aetatis decimo supra centesimum, postquam populum gravissima oratione ad Legis observantiam cohortatus fuisset, supremum diem obiit (XXIII-XXIV). Haec est totius libri summa iuxta literalem historiae sensum; sub quo tamen difficile non est mystice adumbrata deprehendere Christi Reparatoris gesta, cum quo Iosue

non solum nomen commune habuit, sed et eius characterem in typo ac figura quodammodo expressit. Utrumque libri Iosue sensum ita paucis proponit Hieronymus in epistola ad Paulinum: « Veniam, inquit, ad Iesum Nave, qui typum Domini non solum gestis, verum etiam nomine praefert. Transit Iordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia Ecclesiae coelestisque Ierusalem spiritualia regna describit.

De auctore libri Iosue quaestio est inter criticos. Omissa enim rationalistarum quorundam opinione, qui librum hunc recentem esse opinantur et ex variis diversorum fragmentis conflatum, ipsi sanioris scholae critici ambigere solent, an liber Iosue dicatur quia a Iosue ipso conscriptus, an vero tantum quia de eius historia pertractat, quemadmodum dicimus librum Iudith, Ruth etc. quamvis nemo credat a sanctis istis feminis hosce libros prodixisse. Nobis verosimilior videtur sententia (quae etiam communior est inter Catholicos), quae tenet ipsum Iosue libri auctorem fuisse. Sane imprimis certum est librum Iosue antiquiorem esse regno Davidis, vel saltem septimo eius regni anno: siquidem in c. XV, 63 legitur: « Iebusaeum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filii Iuda delere: habitavitque Iebusaeus cum filiis Iuda in Ierusalem usque in praesentem diem; » iamvero ex 2 Reg. V, 6-8 scimus Davidem anno septimo regni sui arcem Sion expugnasse, et Iebusaeos illam occupantes expulsisse. Insuper collatis simul libro Iosue cum libro Iudicum apparet primum altero antiquiorem esse; nam liber Iudicum imprimis narrationem a Iosue morte exorditur, cuius proinde historiam, quae Hebraeos maxime intererat, iam scriptam supponit: neque enim verosimile est sacros Hebraeorum historicos narrare omisisse historiam occupationis et distributionis terrae Chanaan antequam ad Iudicum gesta scribenda accederent. Praeterea liber Iudicum plura ex libro Iosue iisdem fere verbis exscribit, ut patebit conferenti sequentes locos: Iud. II, 6-9 cum Ios. XXIV, 28-31, Iud. I, 29 cum Ios. XVI, 10 etc. Est igitur liber Iosue antiquior libro Iudicum; cum autem hic ad prima regum tempora, seu ad Saulis regnum referatur, hinc sequitur librum Iosue ad aetatem Iudicum pertinere. Quod si verum sit, cur non erit ab ipso Iosue conscriptus, quo certe nemo aptior erat ad huiusmodi opus conficiendum, cum et rerum omnium testis et auctor fuisset,

et ad eum maxime pertineret cura servandi earum memoriam apud Hebraeos? Confirmantur haec ex aliis libri indicis. Nam imprimis hic omnia tam accurate et minute describantur, ut auctorem coae-vum praeseferat: lege ex. gr. ea quae habentur de Caleb c. XIV, de Phinees et legatis c. XXII, de iurgio inter tribus quae erant trans Iordanem et ceteras tribus c. XXII, ubi rerum et personarum adiuncta, ipsaque hominum verba minute referuntur: quin imo Ios. V, 1 ubi vulgata legit *donec transirent* in textu Hebraico habetur in prima persona *עד-יעברנו* (secundum Chetio), *donec transissemus*. Denique in c. XXIV, 23-26 legitur: « Percussit ergo Iosue foedus, et proposuit populo praecepta atque iudicia in Sichem. *Scriptis quoque omnia verba haec* (scilicet res istas) in volumine Legis Domini. » Cum autem haec quae Iosue scripsisse dicitur extremam libri partem constituent, cur non dixerimus cetera quoque quae praecedunt ab eo conscripta fuisse? Neque obest quod haec scripta dicantur *in volumine legis Domini*: nam saepe tota Scriptura sacra *Lex* vocatur ut ex. gr. Ioan. X, 34 et XV, 25, vel etiam Iosue dicitur scripsisse in volumine Legis, quia eius liber veluti appendix, vel conclusio libri Legis, seu Pentateuchi habendus est. Accedit testimonium *Ecclesiastici* XLVI, 1 ubi post laudes Moysi elogium texitur Iosue, isque dicitur *successor Moysi in Prophetis*, quod videtur significare illum post Moysen scripsisse primum ex sacris libris, quos Hebraei vocant *prophetas*.

Quae in contrarium afferri solent facile solvi possunt.

Obiciunt enim 1^o animadversionem illam quae saepe in libro Iosue occurrit, aliquas res a Iosue, vel eius tempore constitutas durasse *usque in praesentem diem* (Ios. IV, 9, V, 9, VI, 25, VIII, 29, IX, 27 etc.). — Verum haec non probant librum diu post Iosue conscriptum fuisse. Cum enim Iosue diu post res illas gestas superstes fuerit, et librum circa vitae suae finem scribere, vel absolute et expolire poterit, non incongrue observare poterat res illas, puta lapides duodecim in alveo Iordanis depositos (IV, 9) adhuc post tot annos perdurasse. Simile exemplum habemus in Matthaëo, qui licet paucis tantum annis post passionem Domini scriberet, loquens tamen de agro, quem Sacerdotes ex pretio Iudae proditoris coemerant ait: « Propter hoc vocatus est ager ille *Haceldama*, hoc est, ager sanguinis, *usque in hodiernum diem* » (Mt. XXVII, 8).

Obiciunt 2^o quaedam occurrere in hoc libro aetate Iosue re-

centiora, ut sunt quorundam locorum nomina ex. gr. *Hebron* (Ios. XIV, 43) quae aetate Iosue vocabatur Cariath Arbe, *Dubir* (XV, 45) quae tunc dicebatur Cariath Sopher, *Ierusalem* (XVIII, 28) pro vetusto nomine lebus, *Tyrus* urbs munitissima (XIX, 29) quae diu post aetatem Iosue aedificata fuit, *Galilaea superior et inferior* (XXI, 32; XX, 7) quae appellatio regionis, ac divisio post captivitatem Babylonicam obtinuit.

Respondemus imprimis posse uno ictu nodum difficultatis praecidi, si dicatur haec nomina non ab auctore libri posita esse, sed ab Esdra sacrorum voluminum collectore, qui claritatis causa obsoleta quaedam nomina cum recentioribus commutaverit, quemadmodum etiam in libris Moysi eum fecisse multi opinantur. Sed neque haec suppositio necessaria est. Nam adversarii ostendere non possunt nomina illa esse Iosue recentiora. Nam plures ex illis urbibus duo vel tria nomina gerebant ipsa Iosue aetate, ut scimus de *Cariath Arbe*, quae etiam *Arbea*, vel *Mamre* vel *Hebron* dicebatur usque ab aetate Patriarcharum (Gen. XXXV, 27), et de *Iebus*, quae et *Salem*, et inde *Ierusalem*, seu *pacis visio* dicta est (Gen. XIV). Alia vero nomina non eisdem urbes hic designant quae post Iosue extiterunt, sed alias antiquiores eiusdem nominis; ita ex. gr. *Tyrus*, de qua loquitur noster, non est celeberrima *nova Tyrus* in insula aedificata diu post Iosue, sed vel *antiqua Tyrus* (ἡ παλαιὰ Τύρος) e regione in continenti sita, quae aetate Iosue certo exstabat, vel alia omnino urbs in monte extracta; nam hebraica vox צור vel צר *rupem* significat, quare pluribus locis hoc nomen commune esse potuit, ut apud nos nomina *mons*, *collis*, *arx*, et vernacula *Castello*, *Monte*, *Rocca* etc. Denique ad *Galilaeam* quod attinet, observamus hebraicam vocem גליל vel גלילה a radice גלל ortam esse nomen quoddam genericum, quod *circuitum* significat, respondens Italico *circondario*, quod proinde cullibet provinciae vel regionis divisioni denotandae aptum est, sed post captivitatem Babylonicam ex communi factum est proprium superioris Palaestinae; quemadmodum ex. gr. in Gallis genericum nomen *Provinciae* postea speciale regionem designavit (*Province*), et in Hispania nomen *Mauricum Medina* quod Semitice etiam provinciam, vel urbem in genere significat, speciali urbi proprium evasit, et apud nos genericum nomen *Marca*, *Marche* peculiare unius regionis factum est. - Concludamus igitur nihil obstrare quo-

minus dicamus cum communiore sententia librum Iosue ab ipso Iosue conscriptum fuisse.

Ceterum etiam illi qui negant Iosue esse libri auctorem, admittunt tamen illum ex antiquioribus monumentis excerptum esse. Omnes denique fatentur postremos versiculos c. ultimi ubi mors et sepultura Iosue narratur ab alio fuisse scriptos, ut planum est, fortasse a sequentis libri auctore.

B. *Liber Iudicum.*

Liber Iudicum hebraice שְׁפִטִים (*Sciopetim*) historiam Hebraeorum continuat a morte Iosue usque ad Samuelis aetatem, quo temporis intervallo populus a *Iudicibus* regebatur. Erant autem Iudices sapientes quidam ac fortes viri specialiter a Deo electi ad populi regimen ac tutelam; dicebantur autem Iudices, quia verbum שָׁפַט, *iudicare* apud Hebraeos significat etiam *regere*, ac *ius dicere* (1). Eorum tamen munus non tam in condendis novis legibus, quam in urgenda observantia Legis Moysi, et in gerendis bellis continebatur. Iudices isti omnino sexdecim, vel septem et decem numerantur, scilicet *Othoniel*, *Aod*, *Samgar*, *Barac* cum *Debbora*, *Gedeon*, *Abimelech*, *Thola*, *Iair*, *Iephte*, *Abesan*, *Ahialon*, *Abdon*, *Samson*, *Heli* et *Samuel*. De duobus postremis sermo est in primo Samuelis, seu Regum libro, de reliquis usque ad Samsonis mortem in nostro Iudicum libro, ita tamen ut paucorum gesta fusius exponantur, ut *Barac* et *Debborae*, *Gedeonis*, *Iephte* et *Samsonis*, reliquorum vero obiter tantum et festinanter commemorentur. Totus autem liber in duas partes dividi potest. *Prima pars* (I-XVI) continuatam historiae seriem exhibet, imprimis varias captivitates quibus Hebraei a Dei famulatu recedentes obnoxii fuerant, et ad bonam frugem revertentes liberati sunt per Iudices, quae relatio inter legis custodiam et populi felicitatem specialis scopus huius libri esse videtur. Itaque Hebraei 1° octo annis sub Chusan rege Mesopotamiae servierunt et ab Othoniele liberati sunt; 2° decem et octo annis captivi fuerunt sub Eglon rege Moab, et ab Aod servati; 3° viginti annis sub Iabin potestate fuerunt unde a *Barac* et *Debbora* erepti sunt; 4° septem annis Madianitis servierunt, donec a *Gedeone* liberarentur; 5° decem et octo annis Ammonitis obnoxii fuerunt, quorum

(1) Notatu dignum est apud Carthaginienses supremos magistratus vocatos fuisse *suffetes* quod est ipsum nomen שְׁפִטִים: Carthaginiensium enim, seu Poenorum, lingua hebraicae dialectus erat.

jugum per Iepthem excussum est; 6° denique quadraginta annis Philistaeorum dominationi subditi fuerunt, a quibus strenue ac miris modis saepe defensi sunt a Samsone, quin tamen potuerint se ab eorum potestate penitus eripere, quod postea sub rege Saul factum est. Haec in prima libri parte. *Alter* vero pars (XVII-XXI) nonnullas historias refert de Micha Ephraimita eiusque idolo, de Levita quodam eiusque uxore a Gabaonitis violata, et de bello inde exorto inter tribum Benjamin et reliquas tribus; quae omnia appendicis loco habenda sunt; referuntur enim haec nullo servato temporum ordine, nec ulla facta mentione de epocha ad quam referenda sint. Denique omittendum non est Iudices ipsos, eorumque gesta mysticam quoque significationem habere iuxta illud Hieronymi in epistola ad Paulinum: « In Iudicum libro quot principes populi, tot figurae sunt. »

Ad auctorem libri quod attinet, variae sunt eruditorum sententiae. Alii enim Esdras, alii Ezechiam, alii Samuelem eius auctorem fuisse opinantur, alii demum non uni sed pluribus auctoribus eum tribuunt, existimantes singulos Iudices aliqua scripsisse, quae postea in unum volumen conflata fuerint. Postrema haec sententia minus verosimilis videtur praesertim ex eo quod stylus uniformis sit, et historiae partes bene inter se connexae, excepta postrema parte, quae ut superius diximus, appendicis loco habenda est. Ex tribus autem superioribus sententis verosimilior videtur tertia, quae librum Samueli adscribit; hic enim et postremus fuit inter Iudices, et propheticis spiritu afflatus, et inter Agiographos computatus. Aliunde etiam apparet librum Iudicum aetate Esdrae et Ezechiae antiquiorem esse, immo etiam antiquiorem primis duobus Regum libris, ubi gesta postremorum Iudicum Heli, et Samuelem narranda suscipiuntur ubi Iudicum liber desiderat. Accedit quoque hanc esse communiorem inter Iudaeos sententiam, quam Rabbi Kimchi, Abarbanel et plerique Rabbiorum sequuntur, quibus etiam sanctus Isidorus alique Ecclesiae Patres, et recentius Huetius, Bonfrerius, Gravesonius alique doctissimi inter christianos interpretes accedunt.

Obiectiones suis multae ex nominibus propriis, ex notis chronologicis, aliisque internis argumentis desumptae accurate expenduntur a laudato Huetio (Demonstr. Evang. Prop. IV), et a Ghi-

ringhello (De libris hist. A. F. Cap. II. Art. 4°), qui hanc sententiam strenue defendit.

C. *Liber Ruth.*

Libellus Ruth pulcherrimam narrat historiam puellae huius Moabitidis, quae mirabili Dei providentia ad populum electum adducta nupsit Booz viro ex tribu Iuda, ex quo genuit Obed avum David Regis, atque ita inter progenitrices Christi connumerari meruit. Quare opportune Hieronymus illi applicat Isaiae vaticinium (XVI, 4) hisce verbis loc. cit.: « Ruth Moabitis Isaiae explet vaticinium dicentis: *Emitte agnum Domine dominatorem terrae de Petra deserti ad montem filiae Sion* » ubi notandum est *Petram deserti* esse urbem principem Moabitarum, unde foemina illa egressa est, et de hac urbe loqui Isaiam, cum caput XV et XVI eius prophetiae de Moab unice pertractent. Historiae summa haec est. Elimelech quidam Bethlehemitam cum uxore sua Noemi, ac duobus filiis famis tempore in regionem Moab migravit, ubi brevi mortuus est. Duo filii paulo post Moabitas uxores duxerunt, quarum una Ruth vocabatur: sed mox et ipsi defuncti sunt absque liberis, atque ita tres viduae solae et egenae relictae. Tunc Noemi iam senescens in patriam reverti voluit, quo eam sequuta est nurus Ruth vehementer obstans se eam nunquam relicturam, eiusque patriam, ac religionem libentissime amplexuram. Itaque ambo simul Bethlehem venerant (c. I). Ibi cum pauperum more viverent Ruth in campum Booz divitis ac potentis viri pergere coepit tempore messis, ut spicas a messoribus relictas cum aliis puellis legeret, accepta ab ipso domino amplissima facultate, qui eam benignissime excepit, et de fidelitate ac filiali erga socrum Noemi amore laudavit (c. II). Cum id Noemi comperisset, simulque sciret hunc Booz mariti sui Elimelech propinquum esse, puellae suavitudo nuptias ab eo peteret iuxta legem leviratus. Booz, interpellato prius alio propinquo ore cognato, eoque iuxta gentis consuetudinem ad portam urbis iuri suo solemniter renunciantem, nupsit Ruth Moabitidi, universis amicis et contribulibus laeta ac fausta adprecantibus, et ex eo coniugio ortus est Obed, qui fuit pater Isai patris David (c. III, IV). Liber Ruth perutilis est ad Christi genealogiam declarandam; praeterea tam praeclara exhibet fidei, simplicitatis, charitatis et domesticarum virtutum exempla in ipsa Ruth eiusque

socræ Noemi, ac Booz Ruth marito, ut eius lectio maximum fructum afferat.

Certum est historiam Ruth aetate Iudicum accidisse, et quidem sub finem illius aetatis, ut apparet ex eo quod filius Ruth Davidis avus fuerit. Sub quo autem Iudice haec facta fuerint incertum est. Multo magis est incertum quis librum scripserit; multi illum tribuunt Samueli quemadmodum praecedentem Iudicum librum, cuius veluti appendix est, et cum quo solebat ab Hebraeis coniungi. Ita Thalmudistae, quibus plures etiam inter Christianos assentiuntur. Argumenta quae id confirmant eadem fere sunt ac illa quae praecedenti libro innuimus, nec quidquam solidum aut gravis momenti in contrarium afferri potest. (Vide Ghiringhelo op.cit. Cap.III).

D. Quatuor Libri Regum.

Graeci interpretes et post eos Latina Vulgata *quatuor Regum*, seu *Regnorum* libros numerant, Hebraei vero duos tantum. Siquidem duos primos libros *Samuelis* שמואל *Scemuel* appellant, tertium autem et quartum appellant מלכים (*Melachim*) idest *Reges*, et hos quidem antiquiores Hebraei in unum librum coniungebant, recentiores vero Hebraei textus editiones post Borbergianam (an. 1547) in duos libros dividunt. Itaque qui a nobis appellantur primus et secundus Regum, apud Hebraeos sunt *primus et secundus Samuelis*, tertius vero et quartus Regum apud nos, respondent *primo et secundo Regum* apud Hebraeos.

In his itaque Samuelis et Regum libris gesta Hebraeorum referuntur sub Regibus. In *primo libro* exordium ducitur ab historia Samuelis, cuius nativitas, infantia et acceptum a Deo munus propheticum ac politicum narrantur in primis IX capitibus. A capite vero X incipit historia Saulis, quo Rege constituto per ipsum Samuelem, politicum Hebraeorum regimen immutatum est. Huius gesta in reliqua parte libri narrantur quomodo nempe Philistaeos et Amalecitas devicerit, postea vero in poenam suae inobedientiae a Deo reprobatus fuerit (X-XV) atque in eius locum Dei iussu David electus in futurum Hebraeorum regem. Rem suspicatus Saul, et Davidis fortitudine, atque egregiis gestis in Philistaeos et in Goliath, praeclearisque encomiis inde ei partis invidia permotus mortem ei saepius molitus est, donec ipse cum Philistaeis pugnans una cum filio Ionatha Davidis amico occubuit, atque ita liberum ipsi David solum reliquit (XVI-XXXI).

In *secundo libro* Davidis historia narrantur, qui primus a tribu Iuda rex salutatus septem annis cum dimidio in Hebron regnavit, reliquis tribubus familiae Saulis adhaerentibus, deinde vero ab his quoque receptus arcem Sion, expulsis Iebusaeis, occupavit, atque arcam foederis illuc adduxit, sibi quoque Regium palatium ibidem aedificavit, unde Sion *civitas David* appellari coepit (I-VI), atque exinde super integrum Hebraeorum populum usque ad annum quadagesimum regnavit. Toto hoc temporis spatio multa a Davide fortiter gesta, multa quoque eius pietatis ac virtutis exempla, crimen etiam cum aliena uxore commissum, atque sequuta poenitentia narrantur usque ad libri finem (VII-XXIV).

Tertius Regum liber historiam Davidis claudit narrans eius mortem in senectute bona postquam Salomonem filium, quem ex Bersabea susceperat, sibi in regno successorem designasset (I et II). Tum huius historia subnectitur, eiusque sapientia, divitiae, templumque ab eo aedificatum graphice describuntur (III-XII). Salomoni succedit filius Roboam, sub quo regnum in duas partes scissum est, manentibus cum Roboamo tribu Iuda, et tribu Benjamin cum integra fere tribu Levi, ceteris autem decem tribubus recentibus sub duce Ieroboam, a quibus *regnum Israel* constitutum est. Prosequitur liber utriusque regni historiam usque ad mortem Achab regis Israel, et Iosaphat regis Iuda (XIII-XXII). Postrema quinque capita (XVII-XXII) multa etiam narrant de Elia propheta, qui in regno Israel potissimum munus suum propheticum exercuit, et fideles Hebraeos qui in medio idololatriae ac impietatis a sceleratis illis Regibus promotae vivebant in Religione, veroque Dei cultu confirmavit.

Quartus denique liber regnorum Iuda et Israel historiam prosequitur usque ad Ierosolymae eversionem, ac Iudaeorum deportationem in Babyloniam. Multa in hoc libro occurrunt virtutum exempla in Regibus Iuda, praesertim Ezechia, et Iosaphat, multa etiam a Deo patrata prodigia in gratiam Iudaeorum, ac praesertim immissa divinitus strages in castra Assyriorum, qui sub duce Sennacherib Hierosolymam excindere parabant; plura etiam Eliae eiusque discipuli Elisaei miracula in prioribus capitibus describuntur. Notandum tamen est in duobus hisce posterioribus Regum libris scopum auctoris non fuisse singulorum Regum res gestas, seu politicam utriusque regni historiam fuscè narrare: sed ea tantum bre-

viter tangere quae ad Divinam erga Hebraeos providentiam ostendendam maxime opportuna erant, et ad probandum familiam Davidis superstitem fuisse usque ad extrema reipublicae tempora iuxta Dei promissionem. Tota librorum Regum historia spatium quingentorum circiter annorum complectitur.

Si quaeratur horum librorum *auctor et aetas*, respondemus sedulo distinguendos esse duos priores libros, seu Samuelis, a duobus sequentibus. Duo enim priores libri scripti creduntur ab ipso Samuele una cum Nathan, et Gad prophetis, eo quod istis tribuatur descriptio gestorum Davidis, quae constituunt praecipuum horum librorum argumentum: legimus enim in 4 Par. XXIX, 29: « Gesta autem David Regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, et in libro Nathan prophetae, atque in volumine Gad videntis. » Favet Iudaeorum traditio. Ad reliquos vero duos libros quod atinet nihil certi constitui potest. Alii illos tribuunt Ieremiae, alii Esdrae, alii etiam aliis prophetis, qui tamen ex antiquioribus scriptis ac monumentis historiam ipsam conflaverint. Neque omitendum est quosdam auctores etiam duos priores libros adscribere recentiori agiographo, qui tamen Samuelis, Nathan et Gad scriptis usus fuerit; horum tamen sententia inverosimilis videtur tum ob antiquam Iudaeorum traditionem, tum ob internos librorum characteres, ut videre est apud Ghiringhelo (op. cit. cap. IV art. 1°).

E. Libri Paralipomenon.

Duo isti libri a Graecis Παράλιπομένων, seu *Praetermissorum* appellati sunt, ab Hebraeis vero vocantur דִּבְרֵי הַיָּמִים (*Dibre ha'iamim*), seu *verba dierum*, quasi diceret *diarium, ephemerides*; et revera libri isti breviter pertexunt totam seriem historiae Hebraeorum incipientes a mundi creatione usque ad epocham liberationis populi a captivitate Babylonica; genealogias diligenter enumerant; quae in libris praecedentibus aut omissa aut obscure narrata fuerant supplent vel declarant, circumstantias quasdam referunt ad historiae nexum intelligendum maxime opportunas, et haec quidem potissimum praestant pro aetate Regum. Hinc maxima est horum librorum utilitas ad praecedentes libros recte intelligendos; ita ut merito scribat Hieronymus in Epist. cit.: « Paralipomenon liber, idest instrumenti veteris epitome, tantis, ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voverit arrogare seipsum irri-

deat. Per singula quippe nomina, iuncturasque verborum et praetermissae in Regum libris tanguntur historiae, et innumerabiles explicantur Evangelii quaestiones. »

Auctor Paralipomenon ex communi Iudaeorum et Christianorum sententia fuit Esdras, qui post solutam captivitatem sacros libros collegit, ac recensuit, et ad quem proinde confectio horum librorum, qui praecedentibus lucem afferunt, maxime pertinebat. Accedit, postrema Paralipomenon verba eadem esse ac prima libri Esdrae: stylus etiam atque narrandi modus Esdrae omnino convenit.

F. Liber Tobiae.

Librum Tobiae ad epocham Regum revocamus quia historiam continet quae tempore captivitatis non Babylonicae sed Assyriacae contigit, stante adhuc Regno Iudae. Liber hic unus est ex *deuterocanonics* V. T. Historiam vero complectitur utriusque Tobiae, patris nempe ac filii. Tobias igitur senior ex tribu Nephtali sub Salmanassar captivus in Assyriam ductus eiusdem principis gratiam inivit, eaque constanter usus est ad Hebraeos concaptivos in vera Religione confirmandos, ac omnigena pietatis officia ipsis praestanda. Cum autem et bonis spoliatus fuisset, et lumine oculorum orbatus utramque calamitatem patienter tulit (I-III). Arbitratus autem vitae finem sibi instare filio adolescenti egregia tradidit monita, eumque in urbem Rages misit ut pecuniam iampridem Gabelo mutuo datam ab eo reciperet. Adolescenti Angelus Raphael sub humana specie sese comitem adiunxit, eumque in itinere ab immani pisce liberavit. Cum vero Rages pervenisset Tobias ex Angeli consilio Saram sibi propinquitate coniunctam in uxorem accepit, et ad patrem reversus eius oculos felle piscis linivit, quo ille continuo visum recepit. Tot beneficiis a coelesti comite affecti Tobias pater ac filius de mercede ei reddenda cogitabant, sed ille Angelum se illis declarans in caelum se recepit (V-XIV). Historia haec admirabili styli simplicitate, et candore exarata ad pietatem, ad patientiam, ad fiduciam erga Divinam providentiam, et honorum Angelorum tutelam lectoris animum movet. Utilissima imprimis documenta praebet charitatis erga proximum, fortitudinis in rebus adversis, moralis ac religiosae filiorum educationis, et coniugii caste sanctaeque celebrantii, quae omnia in utriusque Tobiae gestis ac dictis mirifice elucet, et Evangelicam perfectionem tot ante saeculis adumbrasse videntur.

Quisnam libri huius auctor fuerit difficile est definire. Inter recentiores nonnulli cum Iahn, Scholz et Ackermann tempore imperii Macedonici ab aliquo Propheta librum conscriptum putant: alii cum Estio, Welte etc. post captivitatem Babylonicam ab Esdra vel Nehemia. Verum communior est sententia, quam post multos antiquiores Sixtus Senensis, Haetius aliique plures tenent, utrumque Tobiam patrem ac filium hunc librum durante Assyriaca captivitate conscripsisse. Suadetur haec sententia 1° ex eo quod in exemplaribus Graecis et Syriacis Tobias pater in primis tribus capitibus in prima persona loquitur. Incipit enim Cap. I vers. 3°: «*Εγὼ Τωβίτ ὁδοῖς ἀληθείας ἐπορεύομαι κ. τ. λ.*» idest, *Ego Tobias in viis veritatis ambulabam* etc. et ita prosequitur usque ad caput IV. 2° Ex verbis cap. XII, vers. 20 ubi Angelus ait utrique Tobiae: «*γράψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα εἰς βιβλίον*» idest, *Scribite omnia quae facta sunt in libro*. Eadem loquendi ratio servatur in Hebraica versione Tobiae. 3° In iisdem exemplaribus cap. XIII scriptum a *Tobia* dicitur quod ibidem legitur: «*Καὶ Τωβίτ ἔγραψε προσευχὴν εἰς ἀγγλίξαιον.*» *Et scripsit Tobias* etc. Ex hisce concludunt multi primam libri partem fortasse usque ad Cap. XIII a *Tobia* seniore conscriptam esse, juniorem vero *Tobiam* Cap. XIV addidisse, excepta conclusione, quam putant ab aliquo ex *Tobiae* nepotibus additam esse.

Liber hic in textu Hebraico non reperitur, neque hebraice scriptus videtur: existimant tamen plures illum chaldaica lingua exaratum, quod affirmare videtur Hieronymus in praefatione in *Tobiam* ad Chromatium et Eliodorum: «*Exigitis enim, inquit, ut librum chaldaeo sermone conscriptum, ad latinum stylum traham: librum utique Tobiae etc.*» Nunc tamen neque ipsa chaldaica exemplaria supersunt sed graeca eius versio, quae ad instar textus habetur, et latina a Hieronymo confecta, quae in nostra Vulgata legitur.

G. Liber Iudith.

Liber Iudith fortissimae huius foeminae historiam narrat, quae cum nobilitate generis et castitatis laude floreret, ac multos iam annos viduitatem inter pietatis opera exegisset gentem suam ab excidio servavit, occiso Holoferne regis Assyriorum duce, et Bethulia ab eorum obsidione liberata. Capitibus XVI liber hic constat, et quamvis nunc tantum in Graeca versione supersit, Chal-

daice tamen scriptus creditur, quod Hieronymus expresse testatur in praefatione in hunc librum. Inter *deutero-canonicos* secundum tenet locum.

Non solum libri auctor sed ipsa aetas qua historia Iudith contigit incerta est, nec quidquam ex aliis Scripturae libris adduci potest quod quaestionem dirimat. Itaque critici et interpretes in varias abeunt sententias. Alii quidem historiam hanc contigisse autumant post reditum ex captivitate Babylonica, ut Ensebius, Augustinus, Synellus, et ex recentioribus Estius, Cornelius a Lapide, Wouters et alii. Plures vero alii historiam referunt ad tempora Regum, ut Bellarminus, Serarius, Calmetus, Montfauconius, Marchini et satis communiter recentiores. Ex his vero alii sub Rege Manasse historiam collocant, quae communior est sententia, alii sub postremis Regibus Sedecia vel Ioachim; Glaire singulari satis opinione paullo post mortem Regis Amasiae haec accidisse existimat. Praestabit breviter rationes proferre, quae pro variis hisce sententiis, vel contra illas afferri solent.

1° Sententia eorum qui post captivitatem Babylonicam collocant historiam Iudith his rationibus innititur. 1°) Aetate Iudith Eliacim seu Ioachim Pontifex erat (Iud. IV, 3, 7, 11, XV, 9); atqui nullus fuit huius nominis pontifex ante captivitatem, ut apparet ex genealogis Pontificum in libris Paralipomenon, et apud Iosephum. 2°) In capite V Aéchior dux Ammonitarum Holoferni referens Hebraeorum gesta de eorum reditu ex captivitate mentionem facit tamquam de eventu qui paulo ante locum habuerit: «*Nam et ante hos annos, inquit, cum recessissent a via quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt praелиis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana haec omnia, et iterum possident Ierusalem, ubi sunt sancta eorum.*» 3°) Ex tota historia Iudith praesertim c. VI apparet Hebraeos tunc sine rege fuisse, et a senioribus, et principibus una cum Summo Pontifice republicam fuisse administratam: quod tempore post-Babylonico unice convenit. 4°) Iudith in c. VIII, 18, 19, absolute affirmat Iudaeos sui temporis in Dei famulatu fideles mansisse, et Deos alienos nescivisse; quod de Iudaeis post captivitatem dici poterat, minime vero de Iudaeis aetate regum, praesertim sub Manasse. 5°) Denique ante

captivitatem nullus occurrit sive Arphaxad rex Medorum, sive Nabuchodonosor rex Assyriorum, de quibus Iud. I, 1, 5 fit sermo.

II° Sententia quae ad aetatem Regum hanc historiam refert sequentibus rationibus innitur. 1° In libro Iudith narratur, Nabuchodonosor regem Assyriorum per Holofernem subiugasse Mesopotamiam, Cappadociam, Syriam, Arabiam, Mediam et magnam Iudaeae partem (Iud. II-III). Iam vero omnes illae regiones post captivitatem Babylonicam regibus Persarum subiectae erant. Ergo ante captivitatem illa expeditio Assyriorum collocanda est. 2° Narratur in hoc libro Iudaeae Assyriorum incursioni fortiter restitisse, seque ad bellum parasse. At vero post captivitatem Iudaei neque autonomiam unquam recuperarunt, neque ad tantam potentiam pervenerunt, ut possent Assyriis ulla ratione resistere. 3° Nive tanquam urbs florentissima commemoratur in Cap. I vers. 5. Porro post captivitatem urbs illa a Regibus Persarum deiecta fuerat. 4° Item Rex Medorum Arphaxad, rex Assyriorum Nabuchodonosor ut potentissimi representantur in Cap. I, II seq. Sed hoc ad epocham tantum quae captivitatem praecessit referri potest: siquidem post captivitatem a Cyro Persarum rege subiugati reges illi potentiam omnem amiserant, ac regibus Persarum parebant. Haec sunt praecipua quae in secundae sententiae confirmationem afferri solent. Cuius tamen defensores ut superius inuimus concordēs non sunt in praecisa epocha assignanda qua haec historia contigerit. Qui dicunt sub Sedecia, aut Iochim eam accidisse non attendunt quod in fine libri legitur, post liberatam Bethuliam, toto tempore quo Iudith superstes fuit, et diu post eius mortem « non fuisse qui perturbaret Israel » (XVI, 28-30): quod certe de aetate Sedeciae, ac Iochim dici non potuisset, cum statim vastatio Iudaeae ac Ierusalem, et populi captivitas sequuta sit. Qui ad tempus mox sequutum mortem Amasiae historiam referunt (ut Glairé) non satis explicant (ceteris etiam omissis) quomodo Iudaei absque rege sistantur, et omnia per summum Pontificem administrata dicantur. Nam quod cl. auctor animadvertit, Oziam seu Azariam Amasiae filium utpote infantem non statim regnasse, sed post tresdecim annos regem fuisse constitutum, in primis non omnino certum videtur; Scriptura enim non dicit Oziam hunc, seu Azariam diu post patris mortem regem constitutum esse, immo contrarium innuere

videtur (1); et hoc etiam admissio, regnum a ministris, regis nomine, fuisset gubernatum, non autem a senioribus ac principibus populi; Summoque Pontifice, quemadmodum in Libro Iudith legitimus. Itaque communior est auctorum sententia Bethuliae obsidionem, ac liberationem incidisse in eos annos quibus Manasses rex captivus Babylone detinebatur, quo tempore rex omnino aberat apud Hebraeos, et populi regimen in primaeam veluti formam relapsum fuerat. In hac opinione satis etiam explicatur tranquillitas illa quae post Bethuliae liberationem diu perdurasse dicitur, hoc enim revera factum esse constat sub extremo Manassis regno, post eius scilicet reditum, ac sub sequenti regno Iosiae.

Is vero, quae superius in contrarium allata sunt huius sententiae fautores ita respondere solent.

Ad 1^{am}) de Summo Pontifice respondent verum quidem esse in serie Pontificum nullum ante tempora captivitatis occurrere nomine Eliacim seu Iochim (quae duo nomina idem in Hebraeo significant, et promiscue usurpantur.) Verum non omnia Pontificum nomina in Paralipomenis (I Par. VI) et in Iosephi libris Antiq. Iudae. recensentur, quemadmodum ex comparatione instituta inter genealogias ab eis exhibitas, et historiam Regum colligitur. Potuit igitur aliquis pontifex nomine Eliacim seu Iochim apud Hebraeos existere aetate ex. gr. Manassis, cuius mentio in genealogiis facta non fuerit.

2° Verba Achior (V, 22, 23) ubi de reditu ex captivitate Babylonica sermo esse videtur, nequaquam de Babylonica captivitate intelligenda sunt, iuxta hos auctores, sed de captivitate plurium Hebraeorum, qui una cum Manasse in Assyriam deportati fuerant, et paulo post dimissi ad suam regionem redierant, atque ut tutiores in posterum viverent in montana recesserant. Accedit, quod Achior Hebraeorum gesta summatim referens, multas captivitates, quae variis aetatibus acciderunt simul coniungere videtur, ut ex eius verbis apparet: ait enim Hebraeos *exterminatos esse praelis a multis nationibus, et plurimos eorum captivos abductos; nec*

(1) Narrata enim Amasiae occisione 4° Reg. XIV. 19 prosequitur sacer Textus: « Et asportaverunt (cadaver Amasiae) in equis, sepultusque est in Ierusalem cum patribus suis in civitate David. Tulit autem universus populus Iudae Azariam annos natum sexdecim, et constituerunt eum regem pro patre eius Amasia. »

etiam undequaque accurata, rerum expositio ab homine extraneo et militiae addicto expectanda erat.

3^o) Quod autem in libro Iudith Hebraeorum populus a senioribus et a Sacerdotibus regeretur optime componitur cum iis quae scimus de aetate Manassis (2 Par. XXXIII). Cum enim Rex iste ab Assyriis captus fuisset, neque successor in Regnum adesset, sponte sua reipublicae regimen ad Seniores et Pontificem devolutum est.

4^o) Quod etiam a Iudith asseritur (VIII, 18, 19) neminem in populo idolorum cultui addictum esse intelligi potest de incolis Bethuliae, non autem de omnibus Iudaeis praesertim Ierosolymitanis. Potuit enim fieri ut etiam sub impio rege Manasse urbs illa fidelis in Dei cultu permaneret; aut etiam ipso Manassis exemplo tam severe a Deo puniti didicerant non esse colendos Deos alienos.

5^o) Gravis denique difficultas, quae ex epocha Arphaxad, et Nabuchodonosor oritur, qui iuxta profanam historiam ad Manassis epocham non pertinent, dissolvi potest si tantum attendatur Orientales principes alii atque alii nominibus à Graecis historicis et ab Hebraeis vocatos fuisse, vel quia plura reapse nomina gererent, vel quia nomina quaedam communia essent, cum officium potius quam personam designarent; vel quia unum idemque nomen, varia ratione ab Hebraeis et a Graecis pronunciatum, diversum nomen esse videatur, ut multis exemplis de nominibus Nabuchodonosor, Assuerus, aliisque demonstrari potest (1). Itaque Nabuchodonosor de quo liber Iudith loquitur, non est ille, qui Iudaeam subingavit ac templum evertit, sed unus ex Assyriorum Regibus, qui illum praecesserant, et Manassis aetate potentissimi erant; scilicet vel Assarhaddon, vel eius successor Saosduchin, quem auctor huius libri communi quodam nomine Nabuchodonosor vocat. Arphaxad autem, rex Medorum, alius non est quam *Phraortes* Herodoti; nam et ipse a Graecis *Aprhaates* vocatus est, quod non multum differt ab Ar-

(1) Ita ex. gr. apud Graecos *Nabuchodonosor*, *Nabuechodrosor* et *Nabucollossor* promiscue usurpantur; *Assarhaddon* vocatur a Samaritanis *Asenaphor*; *Sargon* idem est ac *Sennacherib*; *Nabopolassar* Graecorum in libro Tobiae cap. ult. vocatur *Nabuchodonosor*; *Assuerus*, in libro Esther, est unus ex Persarum regibus fortasse *Xerxes Magnus*; etiam nomen *Artaxerxes* pluribus regibus tribuitur. Et ita porro.

phaxad; vel etiam Arphaxad titulus erat omnibus illis regibus communis, ut *Caesar* apud Romanos. Et re sane vera, *Phraortes* historia apud Herodotum cum iis quae de Arphaxad narrantur in libro Iudith apprime convenit; nam iuxta Herodotum, *Phraortes* quoque, domitis Persis, multas gentes subiugaverat, ac totum poene Orientem in suam ditionem redegerat, plane ut Arphaxad Iud. I, II. Hic in libro Iudith a rege Assyriorum superatur ac interficitur; *Phraortes* quoque apud Herodotum, cum ad Ninivem oppugnandam accessisset, ab Assyriis praelio devictus est, et cum toto exercitu periiit. Quapropter nihil obstat quin per Arphaxad *Phraortem* intelligamus, atque ita profana historia sententiae isti non contradicit.

Nostrum non est indicare utra sententia alteri praeferrenda sit. Qui plura de hac controversia legere cupit adire potest, pro prima sententia *Vincenzi* (Sessio 4^a Conc. Trid. vindicata Parte III prop. 2^a); pro altera vero sententia (de epocha Manassis) *Huetium*, (Op. cit. pro. IV) *Calmetum* (Praef. in librum Iudith et in eundem Comment.) et *Ghiringhelo* (Op. cit. Cap. X) ubi difficultates ex profana historia desumptas doctissime discussas inveniet.

Si quaeratur quisnam librum Iudith conscripserit, adhuc difficilius est responsio. Sunt qui ipsi *Ioachimo* librum adseribunt, ut *Glaire*. Rationalistae nonnulli, ut *Eichhorn*, *De Wette*, *Volkmar* aliique asi sunt scriptionem huius libri ad epocham Christianam reiiicere, non attendentes Graecam huius libri versionem Hebraeis ante Christum notam fuisse, eamque a *S. Clemente Rom.* *Petri* discipulo laudari. Itaque communior eruditorum sententia est hunc librum ab aliquo recentiore *Agiographo*, non diu post Iudith aetatem, probabilius durante captivitate *Babylonica*, exaratum fuisse ad leniendum dolorem, animumque Hebraeorum erigendum tam insignis divini beneficii recordatione. Hoc sane suadere videtur ex una parte libri antiquitas, qui in Graeca versione *Alexandrina* semper extitisse creditur; et ex alia parte *Chaldaica* lingua, qua, teste *Hieronymo*, conscriptus fuerat, quae ante exilium *Babylonicum* apud Hebraeos in usu non erat. (Vide *Huetium* loc. cit.) Ceterum id certo tenendum est, libri auctorem antiquioribus scriptis documentis usum fuisse quemadmodum styli ratio, et minuta locorum, temporum, nominum, sermonum atque adiunctorum descriptio suadent.

II. *Esdrae libri duo.*

Graeci et Latini duos Esdrae libros numerant; Iudaei vero recentiores primum tantum *Esdras* appellant (Hebr. עֶזְרָא, quod significat *adiutorium*), alterum vero appellant *Nehemiam* (Hebr. נְחֻמְיָהוּ, idest, *consolator a Deo*) antiquiores autem Iudaei utrumque in unum librum compingebant, ut videre est apud Iosephum, Talmudistas et plures etiam inter Ecclesiae patres. Duo isti libri historiam referunt liberationis Hebraeorum a captivitate Babylonica, eorumque reditus in Iudaeam, nec non restorationis Ierusalem, Templi ac reipublicae Iudaicae. Hoc enim discrimen fuit inter captivitatem Iudaeorum sub Chaldaeis, ac Israelitarum sub Assyriis, quod isti semel deportati ac dispersi nunquam ad suam regionem reversi sunt; illi vero, apud quos divina revelatio usque ad Christum conservanda erat, post septuaginta annos iterum libertate donati, et in Iudaeam regressi, in populum distinctum rursus coalescent. Haec autem historia ita in praefatis libris ordinata reperitur.

Primus liber in duas partes dividi potest. *Prima pars* (I-IV) narrat Cyrum Persarum imperio potitum, solemniter edicto Iudaeos a servitute solvisse, eosdemque invitasse ut in Palaestinam revertentur, templumque restituerent: quod mox factum est, pluribus Hebraeorum millibus, duce Zorobabele, in patriam reversis, qui statim urbi ac templo reaedificando operam dederunt. Haec pars viginti annorum spatium complectitur, scilicet a primo anno Cyri usque ad sextum Darii Hystaspis (A. C. 536-515). *Alterra pars* (VII-X) narrat gesta Esdrae viri sanctissimi atque in Legis studio doctissimi, qui septimo Artaxerxis anno aliam Iudaeorum coloniam in Iudaeam reduxit, acceptis a rege epistolis, et amplissima facultate quaecumque vellet praestandi, ut res Iudaeorum in integrum restitueret; quod revera summa prudentia ac zelo praestitit, restaurato Divino cultu, et dimissis uxoribus alienigenis, quibuscum multi Hebraeorum contra Legis praescriptum nuptias iniverant. Haec anno ante Christum 458 circiter fieri coeperunt. Hinc apparet inter primam et alteram libri partem plurium annorum lacunam relictam esse.

Secundus Esdrae liber, idest *Nehemiae*, eandem historiam continuans narrat quomodo Nehemias, pincerna regis Artaxerxis, dum Susae degeret, certior factus de afflictione qua Iudaei in Palaestinam reversi opprimebantur, facultatem a rege impetravit eos invisendi, atque urbem contra finitimarum gentium invasiones muniendi. Itaque anno vigesimo primo Artaxerxis (A. C. 445) in Iudaeam ve-

nit, atque Esdrae se adiunxit in urbis restoratione promovenda; operi alacriter institerunt Iudaei, hostibus undique prementibus, ac moenium aedificationem impedire conantibus, ita ut Iudaei *una manu opus facerent, et altera gladium tenerent* (Cap. IV, v. 17). Haec quidem narratur in sex prioribus capitibus. In reliquis (VII-XIII) refertur Esdras cum Nehemia cultus divini restorationi adlaborasse, ita ut totus populus solemniter promiserit se legem Moysis fideliter observaturos. Varii etiam indices exhibentur virorum, ac familiarum, quae ex captivitate redierant, et novam Hebraeorum rempublicam constituebant.

Auctor primi libri, consentientibus omnibus Iudaeis ac Christianis est ipse *Esdras*, cuius nomen praesefert, qui etiam in prima persona a capite VII et deinceps loquitur. Auctor vero secundi libri est *Nehemias*, qui pariter in prima persona res a se gestas narrat, cuique librum communis Iudaeorum traditio adscribit. Notandum tamen est historiam de reditu ex captivitate, quae legitur a VII, 6 usque ad X, 40 esse fragmentum antiquius a Nehemia in Hebraeorum archivis inventum, quod suo libro inserendum censuit.

De utriusque libri literali simul ac mystico sensu ita Hieronymus in saepius laudata epistola: « Esdras et Nehemias, adiutor videlicet, et consolator a Domino, in unum volumen coarctantur; instaurant templum, muros extruunt civitatis, omnisque illa turba populi redentis in patriam, et descriptio sacerdotum, levitarum, Israelis, proselytarum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice praefertur, aliud retinet in medulla. »

Uterque liber hebraice scriptus est; ita tamen ut multa chaldaica admixta habeat, immo integrae pericope chaldaicae occurrant in primo libro, scilicet Cap. IV, 1-16, 18, et VII, 12-26, quae partes publica documenta et regum edicta continent.

I. *Liber Esther.*

Liber Esther pulcherrimam quamdam historiam refert, quae sub Persarum regibus, soluta scilicet Babylonica captivitate, locum habuit. Cum Assuerus rex Persarum reginam Vasthi repudiasset, Esther Hebraeam puellam reginam designavit. Erat tunc praecipuus regis minister vir quidam nomine Aman, qui omnium Iudaeorum in Perside degentium ruinam molitus descriptum ex re-

gis licentia ad omnes satrapas et provinciarum praefectos misit, quo omnes Iudaei uno die interficiendi erant. Mardocheus autem, Estheris avunculus, Amani consilium edoctus totam rem Estheri aperuit, rogans ut apud regem pro suae gentis salute intercederet. Esther quamvis nondum a rege vocata, spreto vitae periculo, ad eum accessit, a quo benigne excepta est; et cum regem ad convivium invitasset, inter epulas Amani conspirationem, ipso praesente, revelavit. Rex ministri audacia permotus, eundem cruci affigendum curavit, et, inverso decreto, Iudaeis per varias provincias dispersis mandavit, ut quo die iuxta Amani literas interficiendi fuissent, ipsi de hostibus suis vindictam superent. Hostium strage sequuta, Mardocheus in rei memoriam festum instituit quod dicitur *Phurim*, idest sortium, die 13 et 14 mensis Adar. Tota haec historia eleganter et dramatice exponitur usque ad Cap. X. 3. Reliqua quae a cap. X, 4 usque ad XVI seu usque ad Libri finem leguntur veluti appendix historiae habenda sunt; continent autem Mardochei orationem et somnium, exemplar epistolae Amani, orationem quam Esther effudit antequam Assuerum conveniret, epistolam Assueri, aliaeque nonnulla ad praecedentem historiam illustrandam et confirmandam opportuna. Haec omnia vocari solent *additamenta Estheris*, quae deuterocanonica sunt, et in hebraico textu desiderantur; inveniebantur tamen in antiqua graeca versione, et inde ea Hieronymus in latinum vertit; antiqui deinde codices inventi sunt, in quibus haec chaldaice continentur, et ab Assemani et De Rossi vulgati ac critice expensi fuerunt.

Quaestio fit de *epocha* tum historiae quae in libro narratur, tum ipsius libri.

Ad historiam quod attinet, tota quaestio ad hoc revocatur: quisnam Assuerus ille fuerit, sub quo historia ista contigit? Cum in historia Persarum nullus occurrat huius nominis rex, apud Hebraeos autem plures Persarum reges eo nomine designentur (1), non potest res aliter quam ex historiae adiunctis, et ex internis libri characteribus definiri. Haec alii dicunt Assuerum Estheris maritum esse *Cambysen*. Quod tamen admitti nequit, cum hic non nisi octo-an-

(1) Sane Dan. IX, 1 Astiages Darii pater Assuerus vocatur; 1 Esdr. IV, 6 Cambyses Cyri successor Assueri nomine designatur. Scilicet videtur hoc commune fuisse regibus Persarum nomen, ut *Pharao* Aegyptiis, et *Caesar* Romanis principibus.

nis regnaverit, Assuerus autem Estheris ultra duodecim annos regnum tenuerit. Alii *Astyagem* pro Assuero intelligunt; sed neque ista sententia probabilis est, quia Astyages non Persarum sed Medorum rex fuit, neque eius imperium ad tantam amplitudinem unquam pervenit quanta in nostro Assuero describitur Esth. I, ubi dicitur « *regnasse ab India usque Aethiopiis, super centum viginti septem provincias*; » quibus etiam excluditur eorum sententia, qui cum Welte et Nicks *Cyaxarem* Medorum regem eum fuisse dicunt. Itaque melius alii Assueri nomine *Artaxerxem* intelligunt, innixi praesertim versionis graecae auctoritate, quae quoties in Esther nomen Assueri (Hebr. אֲשֻׁרֻּרַשׁ *Ahasuerose*) recurrit graece ponit Αρταξέρξης. Cum tamen tres huius nominis reges apud Persas occurrant, dubium adhuc remaneret quisnam ex tribus sit Assuerus: et Eusebius quidem in Chronico Assuerum habet pro *Artaxerxe Mnemone*; sed communior est inter veteres sententia eum esse Artaxerxem *Longimanum* quemadmodum Iosephus (antiq. Lib. X. cap. VI) discrete tradit, quem plures ex Patribus sequuntur, et ex recentioribus Bellarminus, Petavius, Devence aliique. Alii etiam de *Dario Hystaspis* cogitarunt, propterea quod in libro tertio Esdrae (apocrypho) et in Herodoto (Hist. Lib. III) legatur hunc principem centum viginti septem provincias in ditione sua habuisse, ac magnum optimatibus suis instruxisse convivium, quemadmodum de Assuero narrat liber Esther. Alii denique tum ex antiquioribus tum ex recentioribus Assuerum hunc existimant esse ipsum *Xerxem* Magnum in Graecorum historia celebratissimum. Inter tot sententias postrema haec multis, praesertim recentioribus, probatur, eo quod maior indiciorum cumulus, et maior historiae convenientia ei favere videatur. Praestabit haec breviter innuere.

1. Quod pertinet ad historica adiuncta 1^o Assuerus (Esth. I, 3) tertio anno imperii sui, splendido convivio principes omnes ac praefectos regni excipit centum octoginta diebus; item Xerxes, teste Herodoto (Lib. VII, cap. 11, 19), tertio anno regni sui magistratus ac praefectos provinciarum de expeditione contra Graecos suscipienda consulit: aliunde vero scimus Persarum reges de regni negotiis in conviviis tractare solitos fuisse (Vide Herodotum Lib. I cap. 133, Ammianum Marcellinum Lib. XVIII cap. 3, Strabonem in Geographia libr. XV, 19, 20). Cum autem tantus principum numerus esset, et tam difficile negotium, mirum non est plurium

mensium spatio convivia iterari debuisse. 2^o) Electa Esther in reginam ipso anno tertio regni, nonnisi septimo anno, mense decimo ad regis palatium admittitur (Esth. II, 16). Tam longa dilatio cum Xerxis historia apprima convenit qui, memorata expeditione suscepta tertio regni anno, eaque infelicitè gesta, septimo anno in Persidem rediit. 3^o) Assuerus circa idem tempus novum tributum subditis imponit (Esth. X, 1): Xerxes quoque profusus in Graeca expeditione regni thesauris, pecunia indigebat; quare et auream statuam Babylone abstulisse narratur ab Herodoto (Lib. I, cap. 183).

III. Accedunt alia quoque indicia: et imprimis moralis Assueri character, qui quantum ab aliis Persarum regibus diversus est, tantum cum Xerxe convenit. Sanè Assuerus exhibetur luxuriosus, praecipitis iudicii, et crudelis: talem autem fuisse Xerxem veteres historici cum Herodoto testantur.

Ad pleniorè huius opinionis explicationem legatur prae ceteris eruditum opus Aloysii Coletta cui titulus: *Del Libro di Ester - Commentario Storico-Filologico*. Napoli 1868-69, ubi simul et ceterarum opinionum crisis habetur (toto cap. II) et postremae sententiae plenissima expositio (cap. III et IV).

K. *Machabaeorum libri duo.*

Quatuor extant libri Machabaeorum, quorum tamen tertius, et quartus apocryphi sunt. Duo vero primi inter *deutero-canonicos*, atque adeo inter omnes V. T. libros, postremum locum occupant. Duo isti libri historiam continent familiae Mathathiae, eiusque asseclarum, qui contra patriae ac religionis hostes fortissime pugnantes a Syrorum iugo Iudaeos liberarunt. Hi quidem, idest Mathathiae familia, a Iosepho (Antiquit. Lib. XII cap. 6) appellantur *Hasmonaei*, solus autem Iudas fortissimus inter Mathathiae filios proprie *Machabaeus* dicitur I Mac. II, 4 et alibi. Verum postea non solum ad totam familiam, sed et ad omnes qui eorum vexilla sequenti sunt hoc nomen extensum est, et inde orta librorum appellatio. De nominis origine variae sunt eruditorum opiniones. Communiter derivari solet ab initialibus literis huius sententiae desumptae ex Ex. XV, 11: « Quis sicut tu inter Deos, Domine? » quae Hebraice sonant *מי כבודי באלים הנהו* cuius sententiae initiales literae sunt *מכבי*, quae, additis vocalibus, in unam vocem *Machabi* conflatae fuerunt, unde Graeci *Mxxxzβzios* fecerunt; cum autem praedictae literae vexillis Iudaeorum contra Syros pugnantium intextae essent nomen inde ipsis

militibus factum est. Verum communi huic explicationi obstare videtur quod *β* *Caph* Hebraeorum, per graecum *γ* reddi solet; quare scribendum fuisset *Mxyzβzios*, non autem *Mxxxzβzios*, quemadmodum perpetuo scribitur. Quare alii nomen derivant ab Hebraica voce *מקבד* (*Makkabah*) quae *malleum* significat, unde derivatum fuerit *Mxxxzβzios* quasi *malleator* ob fortitudinem qua hostes percussit, quemadmodum apud Gallos Carolus *Martellus* dicitur.

Historia Machabaeorum secundo ante Christum saeculo contigit. Ut autem eadem recte intelligatur recolendum est Iudaeos ex captivitate reversos diu sub Persarum dominatione mansisse, quamvis eis aliqua autonomia concederetur, et iuxta patrias leges ac consuetudines vivere permitterentur; deinde cum Alexander Magnus Persarum imperium evertisset, ac toto Oriente potitus esset (A. C. 330), etiam Iudaei sub Graecorum potestatem redacti sunt. Post mortem vero Alexandri, imperio Macedonico in varia regna dispersito, Syria ac Palaestina Seleuco eiusque successoribus paruerunt. Ex his Antiochus Epiphanes dire adversus Iudaeos desavit, Hierosolymam depraedatus est, templum spoliavit et profanavit, multosque Iudaeorum partim interfecit partim servituti addixit (A. C. 169) ac paulo post (A. C. 167) ex aegyptiaca expeditione redux omnes Hierosolymorum cives interfici iusserat, urbis moenia dirui, et arcem Sion a militibus paganis occupari, missis quoque in universam Iudaeam praefectis qui Hebraeos ad cultum idolorum cogèrent, et refractarios morte multarent. Cum multi Hebraeorum timore percussis iussa regis facerent, Mathathias sacerdos ex 21^a classe cum quinque filiis exercitum fidelium Iudaeorum collegit, simulque religionis zelo accensi Iudaeam peragrare coeperunt, apostatas punierunt, et regios praefectos populum ad apostasiam cogentes trucidarunt. Mortuo Mathathia (A. C. 166) in eius locum successit filius Iudas, qui proprie Machabaeus dicebatur, isque cum paucis copiis strenue dimicans ingentes hostium exercitus in multis praeliis superavit, eos ex arce Sion exturbavit, ac templum a profanationibus paganorum expurgatum reparavit, atque solemniter dedicari curavit. Cum Iudas in praelio adversus Demetrium fortiter pugnans occubisset, in eius locum Ionathas frater suffectus est, quo etiam sublato, Simon primogenitus principatum simul et summum Sacerdotium suscepit, qui etiam post plures annos interfectus est (A. C. 135) postquam multas hostibus clades intulisset. Hucusque liber primus